

A C,42924534—000. aufer 635870—000,Logarithmum A B. & prouenient 42288664,differentialis anguli B, o $\overline{g}$ 56. ii, quæsiti. Verum si dentur crus A C,137:& angulus B. o $\overline{g}$ 56.ii, habebitur crus A B auferendo 42288664.differentialem anguli B. à Logarithmo A C.qui est 42924534 — 000. Inde enim prouenient 635870 — 000.est logarithmus numeri 9384. qui crus est A B. quæsitum. Tertiò datis crure A B,9384.& angulo B,o $\overline{g}$, 56. ii : vt habeatur crus A C. adde 635870 — 000.Logarith.cruris A B.ad 42288664, differentialem anguli B & prouenient 42924534 — 000 , Logarithmus 137 , cruris A C,quæsiti. Hypotenusa autem B C per præced. prop. habetur. Angulus etiam C,patet,quum sit complementum anguli B,jam cogniti.Et ita per hanc,& præmissam ex latere quouis,& parte alia quauis rectangu-li datis reliquæ omnes eius partes innotescent.

Completam ergo habes rectangulorum rectilineorum scientiam:sequitur obliquangulorum.

DE TRIANGVLIS RECTILINEIS præsertim obliquangulis.

CAP. II.

Propositio 4.

IN omni triangulo,aggregatum ex Logarithmis anguli cuiusvis & lateris eum ambientis,æquatur aggregato ex logarithmis lateris,& anguli eis oppositorum.

Quia omnium laterum ad oppositorum angulorum sinus eadem est ratio:& ita factum ex anguli cuiusvis sinu recto,& latere quouis eum ambiente,æquatur facto ex latere subtendente priorem angulum,& sinu anguli subtendentis à priore latere. Ideo (per prop. 5. cap. 2. 1.) aggregatum ex Logarithmis &c. æquatur. vt supra.

Corollarium.

Vnde ex duobus angulis quibuscunque datæ speciei , & suis subtendentibus , si tria dantur , quartum quodcunque , atque inde cæteræ omnes trianguli partes innotescent.

Horum enim quatuor proportionaliũ quodvis quæsitũ potest quarto loco constitui,& per 3. probl.cap.5.lib.1.inueniri.



Vt obliquanguli A.B. C detur A B.26302,& B C. 57955, & angulus C. 26 graduum:Quæraturque angulus A , qui sic habetur. Adde 5454707 —00 Logarithmũ B C. ad 8246889 logarithmum scilicet C 26 graduum , & fient 13701596 — 00. Hinc aufer logarithmum A B , qui est 13354921 — 00, restant 346675 logarithmus 75 graduum, & paulò pluris , anguli scilicet , A quæsiti,si A prædicatur acutus:alioqui 105 $\overline{g}$ (per 1.& 2.sect.cap.3.lib.1.) si pronuncietur obtusus.

Vice versa si detur angulus A jam 75 graduum , atque angulus C. & latus B C. vt supra : & quæratur A B. adde 5454707 — 00 logarithmum B C. ad 8246889 logarithmum anguli C,fient,vt supra,13701596 — 00 à quibus aufer 346675 logarithmum anguli A , prouenient 13354921 — 00 logarithmus lateris A B , & numeri eius 26302 quæsiti. Habitis jam angulis A. 75 $\overline{g}$ & C. 26 $\overline{g}$, erit angulus B. 79 gr. per 1. huius. Ex quo jam habito , non secus acquiritur latus ei oppositum A C. 58892 , quàm nuperrimè ex angulo C. innotuit latus ei oppositum A B. Itaque jam patent omnes huius obliquanguli partes.

In obliquangulis crura vocamus , quæ angulum quemvis ambiunt: basim quæ subtendit.

Propositio 5.

In obliquangulis , logarithmus aggregati crurum subductus à